



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

§. XVIII. Abitus Patris ad Missiones alias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

perire erat, qui se illi adungere comites studebant, nec avelli poterant à Patre tam amato, & amante: unde necesse plerumque fuit, ut clam ille, fugientis potiùs, quàm proficiscentis more, se subduceret.

§. XVIII.

Abitus Patris ad Missiones alias.

ITa Pater Paulus, quin unquam interquiesceret, sub vesperum mox illius diei, aut, si tardè, sub auroram sequentis pergebat ad arduos suos labores alio in loco inchoandos, & ad falcem in novam semper messem mittendam. Quantumcunque densi cœlo imbres caderent, quantumcunque ferocirent venti, etsi noctu per horridas eundum silvas, aut vias asperrimas, nullo tamen horum incommodorum ille absterrebat, sed ibat primus omnium vultu hilari, animòsque comitibus addebat: quin dicere solebat, eos qui statuissent Expeditionibus hisce Apostolicis sese impendere, eo se numero habere debere, quo procubitores in militia, qui apertissima in vitæ discrimina se coniiciunt. Altè idcirco in animum demiserat cogitationem de Inferorum suppliciis, de suis noxis, de æternitate, quæ facile illi reddebat quidquid esset ferendum: unde si quis eum aliquando hortabatur, ut majori ipsi sibi curæ esset, ut tueretur se à nimbis, qui densi ruebant; reponere consueverat; haud paulo levius esse aquas, quàm ignem pati; sæpe etiam addere solitus: ô si sciretis, quantopere illum ego formidem! Aliàs cum nonnemo rogabat; ne se verberibus tam malè mulctaret, tantum sanguinis funderet, Apostolicum illud in mentem revocabat; *Sine sanguinis effusione*

Hebr. 9.
v. 22.

NON

non fit remissio: Aut certè altè ducto suspirio agebat: haud procul est æternitas.

§. XIX.

Ratio Missiones in urbibus instituendi.

ATque hæc quam diximus ratio erat, quam Pater Paulus in pagis ac oppidis, prout res ferebat, tenere est solitus. Nec multum huic dispar erat illa, quam tenebat in urbibus. Solùm pro eo quòd in agros camposque prodiret, & vicina in loca populum manè deduceret, in Templum aliquod intra muros, ad pios sensus excitandos aptius, supplex suum agmen deducebat. Unde facilè quis colliget, quàm & gratæ & utiles eodem semper modo sacræ istæ functiones acciderent. Sanè Serenissimi Principes Parmensis, ac Mutinensis, qui in ditionibus suis integræ ejusmodi Expeditioni Sacræ, magno in publicum exemplo, adesse dignati sunt, etiam atque etiam vehementer illasmet admirati, laudibus celebrârunt, tanquam à Patre Paulo singulari DEI instinctu ad animarum salutem inventas. Idem affirmârunt omnis conditionis homines, Præfules, Purpurati Ecclesiæ Patres, quos inter Eminentissimus Rossettus, gloriolæ recordationis, Faventinæ tum Ecclesiæ Pastor, non solùm ingentem animi lætitiâ præ se tulit, cum iis Dicecesis ipsius excolebatur, sed etiam cum à Parochis & Vicariis literas accipiebat nuntias ingentium bonorum, quæ identidem ex P. Segneri expeditionibus nascebantur, consueverat illas lacrymis inter legendum aspergere, quas ipsi ingens solatium expresserat è tam prosperis & optatis successibus haustum. Quantopere tamen sanctas has functiones probabant, qui aliquo divini honoris studio tenebantur,